UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

83 Officium divinum, legitimo cessante impedimento, recitare omittens, non facit fructus & mortaliter peccat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Visual Library

ſ
eſſionibus, aut aliis neceſſariis impeditus
in die feſto mane illa perſolvere non po-
tuiſſet, aut aliis de cauſis, de quibus per
Graff. *deciſ. aur. dict. capit.* 40. *nu-*
mer. 5. & matutinum, aliaſque ho-
ras canonicas plures recitare tenen-
tur.

82 Primò, † omnes beneficiati ad officii
recitationem tenentur, *cap. fin. 92. diſtinct.*
c. quod à te, c. diverſis fallacijs, de cler. con-
jug. & Navar. *de orat. cap. 7. numer. 3. lib. 3.*
quia propter officium datur beneficium,
c. fin. de reſc. in 6.

83 Aliàs, legitimo impedimento † ceſſan-
te, pro rata omiſſionis officij horas non re-
citans non facit fructus ſuos: ſed illos, tan-
quam injuſtè perceptos, reſtituere tenetur,
ultrà quod mortaliter peccat, Dec. *in cap.*
cum omnes, in 2 lect. num. 16. de conſt. Co-
var. *var. reſolut. c. 3. num.* 10. *lib. 3.* Navar.
in manual. c. 25. nu. 122. Graff. *deciſ. aur. c.*
51. nu. 2. par. 1. conc. Trident. *c.* 1. §. *ſi quis*
autem, ſeſſ. 23.

84 Qui verò † omnes horas canonicas, u-
no, vel pluribus diebus intermiſerit omnes
beneficij, ſeu beneficiorum fructus quos
illo, vel illis diebus reſponderent, ſi quoti-
die dividerentur, qui verò matutinum tan-
tum, dimidiam, qui cœteras omnes alias
horas, aliam dimidiam, qui harum ſingu-
las ſextam partem fructuum ejuſdem diei
amittunt, ut ſtatuit Pius V. *in conſtit.* 138.
quæ incipit: Ex proximo Lateranen. de qua in
Bull. Roma. pag. 1134. Tenentur etiam ad
horarum recitationem ſacerdotes, *ut in c.*
presbyter, 91. diſtinct. & cap. 1. de celebrat.
Miſſ.

85 † Et etiam alij ſacris ordinibus initiati
non beneficiati, gloſſ. fin. *in capit. 1. de*
celebr. Miſſ. & ibi Abb. *numer. 4.* non tam
jure humano ſcripto, quàm lege naturali
divina declarata, & quaſi determinata per
univerſalem conſuetudinem, ob tantum
86 honorem ſuſceptum, † jure naturali ad
referendum Deo gratias ad eas recitandas
ſunt obligati, ut trad. Navar. *de orat. dict.*
c. 7. nu. 2. & Graff. *deciſ. aur. c. 53. num. 1.*
par. 1. lib. 2. Et omnes regulares ſacris or-
dinibus initiati, & aliqui ex ſtatuto regulæ
religionis, quàm profitentur, vel ex con-
ſuetudine, ſi talis vigat, ut omnes profeſſi
teneantur, ac, ſi ordines ſacros ſuſcepiſ-
ſent, Navar. *dict. c. 7* & Graff. *deciſ. aur. de*
reg. c. 5. nu. 89. par. 1. lib. 3.

87 Milites † ordinis S. Joannis Hieroſo-
lymitani, & aliarum Militiarum non te-
nentur ad officij Romani recitationem,
nec ad aliud, cùm nullum particulare ha-
88 beant, † quia, niſi ex mera devotione ali-
quod officium velint recitare, ſolummodo
tenentur ad multoties quolibet die oratio-
nem Dominicalem, & Angelicam ſalutio-
nem ad præſcriptum ejuſdem religionis re-
gulæ recitare, ut poſt. Navar. tenet Graff.
deciſ. aur. c. 50. nu. 6 par. 1. lib. 2.

Et, quòd beneficiati ſacerdotes, ac tam
ſeculares, quàm regulares ſacris ordini-
bus initiati horas canonicas, aut earum
partem notabilem ſine juſta cauſa, & etiam
milites dicti ordinis Sancti Joannis Hiero-
ſolymitani orationes, quas ex regulæ præ-
cepto recitare tenentur omittentes mor-
taliter peccent, poſt Henric. de Grand.
Cardin. Turrecrem. Palud. & Sylveſtr. te-
net Navar. & atteſtatur de communi, *eod.*
c. 7. num. 5. de hor. canon. & Graff. *dicto c. 7.*
numer. 89.

89 Horæ † ſunt ſeptem, ſicut ſeptem do-
na Spiritus ſancti, ſeptem dies ſeculi,
ſeptem ætates, quibus completus fuit
mundus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN